



**L. Coelii Lactantii Firmiani, diuinarum institutionum,  
aduersus gentes, de falsa religione liber primus**

**Lactantius, Lucius Caecilius Firmianus**

**[Köln], [1518]**

**VD16 ZV 9338**

Quod unus uere sit deus a prophetis etiam prænuntiatus. Cap. IIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71332)

moueri solemus, uel ad iram, uel ad cupiditatem, uel ad  
læticiam, uel ad metum, uel ad miserationem, ut in his oï-  
bus totidem mentes putentur operari.

**Q**uod unus uere sit deus a prophetis etiam prænun-  
tius. Cap. IIII.

**Q**uod si quis profecto dicat, ne ipsam quidē,  
quæ una est, habere uideatur, quod si in uno  
corpore tantarum rerum gubernationē mēs  
humana possideat, & uniuersis simul intenta  
est, cur aliquis existimet mūdum non posse ab uno regi,  
a pluribus posse? Quod quia intelligūt isti assertores De-  
orum, ita eos præesse singulis rebus, ac partibus dicunt,  
ut tantum unus sit rector eximius. Iam ergo ceteri dī nō  
erunt, sed satellites, ac ministri, quos ille unus maximus,  
& potens omnium officijs his præfecerit, ut ipsi eius im-  
perio, ac nutibus seruiant, si uniuersi pares non sunt, non  
igitur Dī omnes sunt. Nec enim potest hoc idem esse,  
quod seruit, & quod dominatur. Nam si deus est nomen  
summæ potestatis, incorruptibilis esse debet, perfectus,  
impassibilis, nulli rei subiectus. Ergo Dī non sunt, quos  
parere uni maximo Deo necessitas cogit. Sed quia non  
frustra falluntur ij, qui hoc ita putant, causam huius erro-  
ris paulo post aperiemus. Nunc unitatem diuinæ potes-  
tatis testimonijs comprobemus. Prophetæ qui fuerunt  
admodum multi, unum deum prædicant, unum loquūt,  
quippe qui unius Dei spiritu pleni, quæ futura essent,

pari, & consona uoce prædixerunt. At enim ueritatis expertes non putant his esse credendum. Illas enim non diuinas, sed humanas uoces fuisse aiunt, uidelicet quia de uno Deo præconium faciunt, aut insani, aut mēdaces fuerunt. At qui impleta esse in plerisque quotidie illorum uaticinia uidemus, & in unam sententiam cōgruens diuinationo docet non fuisse furiosos. Quis enim mentis emotæ, non modo futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit? Num ergo fallaces erant, qui talia loquebantur? quod ab his tam longe alienum fuit, quā ratio fallendi: cum cæteros ab omni fraude cohiberent. Iccirco enim a Deo mitebantur, ut & præcones essent maiestatis eius, & correctores prauitatis humanæ. Præterea uoluntas fingendi, ac mentiendi eorum est, qui opes appetunt, lucra desyderant, quæ res procul dubio ab illis sanctis uiris abfuit. Ita enim delegato sibi officio functi sunt, ut derelictis omnibus ad tutelam uitæ necessarijs, non modo in futurū, sed ne in diem quidem laborarent, contenti extemporali cibo, quem Deus subministrasset, & hi non modo quæstū nullum habuerūt, sed etiam cruciatus, atque mortē. Amara sunt enim uitiosis, ac maleuiuētibus præcepta iustitiæ. Itaque ij, quorum peccata & arguebantur, & prohibebantur, excruciatos eos acerbissime necauerunt. Ergo a quibus abfuit studium lucri, abfuit etiam uoluntas peccandi, & causa fallēdi. Quid, quod aliqui eorum principes, aut etiam reges fuerunt, in quos cadere non posset suspitio cupiditatis, ac fraudis, & tamen præconium dei singularis, eadē qua cæteri, diuinatione fecerunt.

B